

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4261

Auteur(s) : Guillaume III Ptolomeus, Avranches (évêque)

Bénéficiaire(s) : La Lucerne-d'Outremer, Sainte-Trinité de La Lucerne (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1207

Lieu d'émission : Avranches

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

(Vidimus d'une charte de l'évêque d'Avranches fait en 1447.) L'évêque Guillaume et le chapitre d'Avranches font savoir que l'abbé et les chanoines de La Lucerne leur ont rendu la moitié de la prébende vacante que l'évêque Achard avait assignée auxdits chanoines.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Dubosc François, *Cartulaire de la Manche*, abbaye de la Luzerne, abbaye de Mont-Morel, prieuré de la Perrine, Saint-Lô, Jacqueline fils (Archives départementales de la Manche), 1878, Luzerne, n° XLIII, p. 36-37.

Texte établi d'après a

In nomine domini amen. Per hoc presens publicum instrumentum cunctis pateat evidenter et sit notum quod anno ejusdem domini millesimo quadringentesimo quadragésimo septimo, secundum morem et stilum Ecclesie Gallicane, inditione undecima, mensis vero februarii die decima quinta, pontificatus sanctissimi in christo patris et domini nostri domini Nicolai divina providentia pape quinti anno primo, in mei notarii publici testiumque infrascriptorum, ad hec vocatorum specialiter et rogatorum, presencia personaliter constitutus reverendus in christo pater et dominus Philippus abbas monasterii Sancte Trinitatis de Lucerna, Premonstatensis Ordinis, Abrincensis diocesis, presentavit, ostendit et exhibuit quandam cartam quatuor sigillis sigillatam, sanam et integram, non viciatam, non cancellatam nec abrasam, sed omni prorsus vicio et suspitione carentem, ut prima facie apparebat, cujus tenor de verbo ad verbum sequitur et est talis :

Omnibus sancte matris Ecclesie filiis tam presentibus quam futuris Willelmus dei gracia episcopus et capitulum Abrincensis ecclesie salutem in auctore salutis. Ad vestram volumus noticiam pervenire quod bone memorie Acardus episcopus, communi assensu capituli Abrincensis, abbati et conventui de Lucerna, divine pietatis intuitu, fructus prebendarum in ecclesia nostra vacantium anno integro, in puram et perpetuam elemosinam, assignavit, sicut in carta eorum quam vidimus plenius continetur sigillo ipsius Acardi et capituli roborata. Quos cum, ex eadem concessione, multo tempore pacifice percepissent, ecclesie nostre Abrincensis indigentiam attendentes, cujus fabrica ruinam multiplicem minabatur, ad reparationem et conservationem ejusdem fabrice, nobis medietatem predictorum fructuum donatione gratuita contulerunt, per manum eorundem fideliter recipiendam. Nos autem eis, prestito corporaliter sacramento, promissimus quod bona prebendarum canonicorum nostrorum ad communem utilitatem eorum et nostram integre curabimus conservare, indemnitati eorum sicut et nostre proprie bona fide consulentes ; statuimus eciam ut nostri pro tempore successores, tam episcopi quam canonici, in ingressu suo sacramento consimili ipsis et eorum successoribus obligentur. Preterea concessimus eis, in memoriam prescripte

largitionis eorum, ut quia ipsi, pro beneficio ab ecclesia nostra prius eis collato, canonicis nostris decedentibus exhibent servicium in extremis, nos, audito cujuslibet eorum et successorum suorum obitu, servicium pro eo sicut pro canonico nostro eodem die sollempniter perpetuo celebremus. Si vero huic nostre constitutioni quilibet successores nostri, modo quolibet, contrairent in prejudicium ecclesie de Lucerna aliquid attemptantes, sepedicti abbas et canonici de Lucerna ad integram perceptionem fructuum prebendarum absque contradictione aliqua, secundum tenorem cartarum et privilegiorum suorum, libere revertantur. Ut autem hec omnia perpetua firmitate consistant, presentem paginam sigillorum nostrorum munimine duximus roborandam. Actum est hoc anno ab incarnatione domini M CC VII. apud Abrincas, presentibus J. Dolensi episcopo et magistro Hugone Constanciensi archidiacono qui, ad petitionem nostram, hanc eandem cartam sigillorum suorum testimonio muniverunt.

De cujus carte ostensione et exhibitione prefatus reverendus pater dominus abbas peciit a me notario publico subscripto sibi fieri et confici hoc presens publicum instrumentum. Acta fuerunt hec in claustro dicti monasterii de Lucerna, sub anno, inditione, mense, die et pontificatu predictis, presentibus ad hec discretis viris Thoma Vimont, clerico, et Johanne Le Loutre, Constanciensis diocesis, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Johannes Ruffi, presbiter, Constanciensis diocesis, publicus imperiali auctoritate notarius, quia dicte carte presentationi, ostensioni et exhibitioni, una cum prenominatis testibus, presens fui ipsamque cartam vidi, tenui et palpavi et de ipsa collationem cum quodam litterato diligenter feci, nil addito, mutato aut remoto quod sensum mutet aut varietur. Idcirco huic presenti publico instrumento super hoc confecto et manu aliena fideliter scripto signum meum publicum solitum et consuetum apposui rogatus et requisitus in fidem et testimonium veritatis omnium et singulorum premissorum.